



# LIBER QVINTVS. THEONOSTON.

S E V

## HYPERBORÆORVM.

De Vita & felicità Animorum  
post obitum.



**P**HIL. Tenebris discussis ego & Cuius inuicem læti admodum colloquebamur, submissa tamen admodum voce, cum ecce Eremita nos audiens inquit, gratulor mihi vobisque quod satis tempestiue surgere obrigit. Quin etiã perpetuas decem horas dormisse me animaduertio. Horologiũ enim ipsum experrexit me: Hora est quintadecima, quarta acubuius. Nihil tam vtile seni, vt reor, & ad memoriã, somno prolixiore ac quieto: itaque & satis roboris & temporis ad hodiernam disputationem adesse sentio. Propositum fuit vltimo sermone nostro, heri, solitudinem ad sanitatem & innocentiam commodissimam esse. Id quomodo docebimus esse vtile: certe si quæ de animi immortalitate superioribus diebus disputata sunt, sic in vnum finem dirigantur vt omnia sibi consentiant. Propositum, inquam, fuit, animam esse omnium incorporearum specierum materiam, quod & Aristoteles docuit. Neque enim iam impudens sum, vt velim dicere animam esse equi formam, sed similitudinis eius materiam: quæ tamen similitudo, non vt in speculo accidens quoddam est, sed substantia & forma velut lux in Sole. Sed sunt quæ concurrunt ad actionem intelligendi. Anima quæ est vt materia, species seu idolum rei quæ intelligitur, intellectus mouens, voluntas quæ mouet intellectum; dum enim volumus nondum nolumus, intelligimus præcedens idolum ex quo species intellecta fit & transmutatio animæ in idolum ipsum. Palam enim est quod dum intelligimus anima fit quod intelligitur. Porro in hac transmutatione quatuor proponuntur, scilicet quod res quæ intelligitur, sit ipsa intelligentia: hoc autem licet videatur concedere Aristoteles, & ad animæ immortalitatem facere, tamen absurdum est, & omnino falsum. Nam ipsa intelligentia corrumpitur & non est in materia, equi autem forma in materia & non corrumpitur, saltem cum ipsa intelligentia. Species ergo, vt

dictũ est, & tanquam lux in anima est. Eam formã immortalem esse credit Aristoteles & vniuersalem: & quanquam hæc vt palam est pro immortalitate animorũ facerent, tamen vera nõ esse fateor. Quinimo illa species hæc vna est, & corrumpitur, & transmutatur in momento: & est similis huic homini, qui hominem generaliter refert quamvis vnum sit species propter vim intellectus: qui dum spoliatur ab omnibus conditionibus vnus tanquam vnum non sit, sed generale quoddam relinquatur: non tamen spoliatur à proprietate vnus. Sunt ergo incorporea singula, vnum, sed vnus corpore conditionibus carent, velut loco, magnitudine, figura, tempore, accidentibus. Est igitur species illa mortalis & vna: vnitur autem animæ magis quàm accidens subiecto, & quàm forma materiæ, & in hoc rectè sentit Aristoteles: nam de subiecto & accidente palam est cum subiectum maneat sine accidente: vt accidens & alio genere subiecti, non ita in anima, & re intellecta: præterea nunquam vnum conuertitur in aliud, velut in anima, & specie rei intellecta. Et etiam manifestum videtur discrimen subiecti & accidentis: non ita inter animam & speciem intellectam. Ex materia etiam & forma, licet fiat verius vnum, quàm ex subiecto & accidente, non tamen adeo vnum fit, vt nullum dignoscatur discrimen, sicut inter intellectum & speciem rei: nam sequitur aliud quod talis species, cum anima ita facit vnum per se, vt homo cum intelligit equum nihil se sentiat esse præter illam speciem. Vnde oritur, quod homo dum intelligit vnũ, non potest intelligere aliquid aliud, nec recordari, nec videre, nec audire, Et neque sentire ignem. Ided tortores in his quos vident confirmatos in Ecclasi dant verba, nec permittunt cogitare: at contra prudentes cogitant. Et ego memini cum paterer dolores accerrimos calculi cogitando intentè de re aliqua leuasse dolorem, sed dolor auocabat me ab intelligentia, & ad illam recurrere non sinebat. Et cum sinebat, fiebam

fiendam expers doloris. Valgus autem non intelligit hos, & putat esse falsum propter celeritatem incomprehensibilem transitus de vno in alium: vt cum videmus & cogitamus. Hoc igitur verissimum est, quod anima transmutatur in species illas. Et si quis obiiciat species sunt accidentia, & anima est substantia, igitur anima non potest transmutari in species? Respondeo quod species illæ sunt aded nobiles, vt sint substantiæ, quia sunt formæ quæ erant in potentia in anima, & educuntur ad actum, sicut formæ quæ sunt in materia corporea. Quæret ergo forsitan quispiam, vnde illæ species quæ antecedunt intellectum? Has Græci *αυτάματα* vocant. Et clarum est quod non sunt in corpore: neque enim talia in corpore esse possunt: sunt igitur in anima & non in actu, sed in potentia, cum iam anima intelligente alia sit ibi in actu: igitur dum species est in anima in pura potentia nihil homo intelligit: post per intellectum agentem reducit ad cognitionem confusam & vocatur memoria: post ex memoria magis perficitur, cognosciturque cum suis conditionibus, & tunc imaginamur: demum perurgatur ab illis conditionibus & reducit ad actum perfectissimum, vocaturque tunc intelligentia, & sit idem cum anima. Sed tamen ita vt forma sit idem composito. Compositum est anima intelligens, intelligentia forma, anima materia. Quamdiu autem homo intelligit anima videt res ipsas cum accidentibus suis. Et ita duplex sit cognitio, imò triplex simul memorari, imaginari, intelligere; nec inconueniens est tres fieri simul operationes in idem ordinatas, cum perfectio sit vna. Et in his, non est antecessio temporis, cum sint res materiâ corporeâ carentes. Sicut enim in corporeis primò sit generatio, inde incrementum, vltimò perfectio; sed diuersis in temporibus: ita hic ordo idem seruetur non temporis, sed naturæ. Sic Sol producit lucem, & lux lumen, & lumen calorem in eodem instanti. Cum verò dicimus intellectum intelligere sine magnitudine, quoniam sine magnitudine quadrupliciter intelligit, vel vt punctum, & sic non debet intelligi: non enim essent species intellectæ alicuius nobilitatis, dignitatis, aut potestatis quod est absurdissimum. Eadem ratione, nec linea esse potest aut superficies vnde nugantur qui Deum in extrema cæli superficie collocant. Vel vt materia prima quæ potest contrahi & extendi: sub auri enim forma contracta est in vnum, sub palæi extensa, & sub aëre magis. Et sub hoc sensu multi crediderunt species in anima, animam mentes sine quantitate esse: quo nihil est absurdius, cum species in anima non possint extendi quanto minus mentes, quæ à quantitate sunt remotiores: nam sic carere quantitate est habere quantitatem. Sed indeterminatam. At hoc de vocatis vniuersalibus credere stultum, de mensibus impium etiam est: vel quod nullam quantitatem sibi decernit: hoc autem modo se habent species in anima. Quæ licet re-

Tom. II.

rum sint quantitati habentium, ab eadem tamen vt non necessaria spoliantur. Mentis verò cum sint nobiliores omnino ad quantitatem nullum habent respectum. Sed sunt puræ & ante quantitatem: sunt enim ex mundo & ordine incorporeorum. His cognitis demonstramus animam primò humanam esse immortalem, cum enim suscipiat omnes formas, vt dixi, aded vt in illas conuertatur, est in potentia ad illas, sed potentia in substantia numquam extingui potest nisi per actum, igitur cum substantia non nisi in substantiam conuertatur & potentia nisi per actum cessare non possit cum substantia hæc potentia sit, fieri non potest, vt intereat anima. Dices forsitan, at quomodo anima erit actus corporis naturalis, membra, seu instrumenta habentis, si est potentia? Dico quod loquimur de humana, quæ est alterum genus animæ: ided illa distinctio non erit huius partis animæ, aliter dic quod in anima est vna pars in actu, altera potentia. Certum est enim agentem intellectum, actu esse, qui moueat omnia. Et vel esse partem animæ cum intelligamus cum volumus: aut saltem mouere semper ex se, sed impeditur cum volumus autem remoueri quid prohibet. Itaque constat cum volumus nos semper intelligere, modò instrumentum sit aptum, id autem est anima ipsa quæ patitur. At anima non potest prohiberi, nisi vt lux Solis à corpore, non quod corpore indigeat. Sed fac vt indigeat, vel quoniam anima perfecta non erit, & ita infinita sequentur absurda. Forma substantiæ quæ augebitur & minuetur: & nunquam intelligit, neque alia intellecta. Si verò quoniam corpus sit animæ instrumentum, igitur cum corpus sit imperfectum, & anima perfecta, non est anima forma corporis. Relinquitur vt confugas ad hoc quod instrumentum est corpus vt animæ imbutum, hoc est, per multas ambages absurdissimum dicere: corpus malè affectum ab anima, quæ malè affecta est à corpore, cum sit forma eius. Tandem confugit huc, anima perfecta, corpus instrumentum inhabile, quia non benè recipit ab anima perfecta potentiam perfectam propter corporis impuritatem, vt corruptio gustus in febre biliosa cum anima sit perfecta. Sed si ita esset omnes aliquando barbari, & Thraces intelligerent Archimedis inuenta. Sed causa est alia, sicut enim Sol in aliquibus regionibus semper lucet, in aliquibus nunquam, ita anima est per se clara in omnibus & æqualis, corpora autem valde diuersa inter se quoniam forma corporea, non est anima.

*Pbil.* His dictis paululum quieuit, ac cogitans, vt videbatur quædam secum reuoluebat, inde rursus inquit. Audistis amici, qualiter anima potentia quædam sit dicetis, quomodo ergo semper mouet corpus nutriendo, & venas pulsantes attollendo! Deinde quomodo cum à somno expergiscimur ad intelligendum mouetur? Deinde cum voluntas sit rei cognitæ, igitur cognitio præcedit

Pp 3 volunta

voluntatem, non voluntas cognitionem? Demum animi perturbationem & reliqua huiusmodi hominis sunt potius quam animæ: Non ergo anima immortalis est magis quam homo? Respondeo quod vno inconuenienti & absurdo dato multa sequuntur. Neque enim verum est quod anima sit potentia solum sed pars eius, est enim ut videbitur compositum cuius agens intellectus est in actu & est in nobis quia voluntati nostræ patet. Cum verò à somno expergiscimus obliuiscimur somniorum memoria, vel sensilia, atque ita ad voluntatem incitatur. Sentimus enim memoriam moderari, cum aliquid concupiscimus, aut præsens obiectum: Hæc dico ut vera fatear etiam ad immortalitatem animæ non sint vitia. Dico ergo quod voluntas est cognitio imperfecta coniuncta quando homo intelligere desiderat, & cum intelligit est perfecta, imperfecta enim est vel quia cognitio est per sensum, vel quia imaginatur vel recordatur, cum dicit perturbationes ut irasci, aut tristiari esse hominis, non animæ? Respondeo quod voluntas quatenus est voluntas, est animæ, quatenus perturbata & irritata est totius hominis, neque enim negare possumus, quod tamen si calefacere fiat sensum, ipsum tamen sentire non sit in instanti consensus autem patet ad totam etiam est in instanti, neque enim visus est homo qui prius senserit vnam punctiorem in pede inde ipse vel momento post, neque hoc auditum à seculo, cum omnibus in rebus miracula apparerent: igitur elaram est, animam omnino esse incorpoream, & sensum esse animæ proprium. Corporea enim nihil habent quod sine tempore fiat, hoc enim luculenter declaratum est ab Aristotele, quod corpus non potest esse absque magnitudine nec magnitudo absque loco & tempore. Si ergo sensus non est hominis, quanto minus velle, vel intelligere, vel recordari, communicantur tamen corpori quæ sunt cum affectu, & perturbatione. Quod si dicat aliquis argumentum illud de potentia non sufficere ad declarandum animi immortalitatem, quoniam corrupto homine illa potentia manet, sed est remota: ita ut etiam in monte sit hæc potentia quod quoties fuerit sub humana forma poterit esse species equi aut bouis: dico quod est absurdum responsum: quia primum subiectum posse est animæ: sed primum subiectum posse ad omnia est perpetuum, igitur anima est perpetua. Forsitan dices quod anima non est in potentia ad omnes formas incorporeas, sicut hyle: quia hyle est in potentia ad omnes formas corporeas, quæ specie differunt, non sic species rerum incorporeas, quæ licet referant differentia specie tamen ipsæ sunt vnus rationis & speciei. Velut speculum refert diuersa specie, tamen est idem non solum specie sed numero. Verum hoc non sufficit: speculum enim non videt nec immutat anima autem immutat, & sit idem cum specie. Quod autem species illæ differant specie inter se demonstrat quamvis secundum Aristotelem non indigeremus hoc labore: ip-

se enim vult quod sint res ipsa, idem dixit animam esse omnia sensilia per sensum, & omnia intellecta per intellectum, cum enim species illæ sint eadem animæ & anima sit substantia, si non differunt non indigerent transmutatione: ac transmutatio non sit inter ea quæ differunt numero solum non enim ex formica fit formica: neque ex boue bos, sed transmutatio est inter differentia specie, igitur forma equi in anima differt specie à forma asini. Præterea hæc ipso anima cognoscit differentiam in specie, ergo differunt specie: nam & si vna re possumus duas cognoscere, non tamen vna re possumus duas res cognoscere quod specie differant. Quod si quis dicat formas materiarias diu manere ut aurum, adamantem, idem hoc indicat subiectum quod manet esse perpetuum: in anima autem species illæ vel momento manent, inde plerumque mutantur statim ex vna in aliam, quod videtur inditium interitus. Respondeo quod mutatio hæc repentina non facit differentiam in æternitate sed in coniectura, quamquam cælum multo velocius moueatur aqua tamen cælum est æternum, aqua marcescit; quin potius mutatio momentanea & sine tempore immortalitatis indicium erit. Animam ergo esse immortalem haud dubium est: & rectè demonstratum. Verum dices quod agit dum nec sentit, nec intelligit: Et vtrum possit intelligere absque voluntate? ac rursus an possit velle sine corporeo auxilio? & demum an intelligere absque illo?

Ci. At Ego mallet duo alia scire.

Er. Quæ? Ci. Primum an intellectus agens sit pars nostri: nam duo proposuisti aut quid sit aut quid ipse semper agat, homo verò voluntate tollat impedimentum. Alterum est quod si animam esse immortalem ut credo demonstrasse te cur aded serò scitum est & à paucis creditum.

Er. Rectè dubitas de vtroque & primo dissoluam hoc secundum addamque quæ alias non intelligebam de vnitatem intellectus Auertois quæque didici in libello Hieronymi Cardani de Vno. Itaque res optimas & maximè necessarias diu latuisse, nihil mirum, sicut Typographica Nautica, pyxis Algebratica Scientia, Motus astrorum ratio aut nuper inuenta aut non multo antè. Nempe Algebratica & Typographica nouum sunt inuentum Nautica pyxis ducentorum annorum aut paulo plus, Astrologia aliquanto vetustior: sed tamè non ante Ptoleum. Adderem & machinas igneas nouum inuentum & tanto exitius quanto admirabilis, Sed quid dicam, plura inueniuntur & præclariora his, quæ iam inuenta sunt. At quod pauci credant sciant exemplum ducito ab hoc (acceptitque sphaerulam de qua dixi ante crystallinam, forsitan non tam ad vsum accendendi ignem quam ad hoc exemplum paratum) dixitque nonne vides hanc sphaeram?

Ci. Video. Er. Putasne exactè eam esse rotundam?

Ci. Non satis scio. Er. Sed supponamus: nam nec ego credo?

Ci. Sit

*Ci.* Sit ut vis: quidam? *Er.* Imaginaris circulum per illius centrum transcurrentem quam amplissimum?

*Ci.* Imaginor. *Er.* Scisne plus ultra?

*Ci.* Scio multa de circulo demonstrari à Geometris.

*Er.* Non hoc dico: sed quid habeas in comparatione ad Sphæram?

*Ci.* Non: nisi quod existimo secare illam per medium.

*Er.* Rectè dicis, sed scisne quid ultra? scis quam ad superficiem exteriorem proportionem obtineat?

*Ci.* Nequaquam. *Er.* Quam modo arbitraris?

*Ci.* Circiter triplam aut quadruplam.

*Er.* Ad Vnguem quadruplam?

*Ci.* Itane? *Er.* Certè hoc demonstrat Archimedes & in quam serò hoc notum fuit? Et ab vno homine introductum, qui si antè quam hoc demonstrasset, periisset, aut monumenta illius quod etiam facile fuit, interceptà vetustate, nihil de hoc sciremus, imò existimarem fieri non posse, ut hoc sciatur. Quot existimas periisse inuenta, quæ nunc, nemo putat inueniri posse, imò nec vera esse? Et tamen cum sit demonstratum apertè tamen paucissimi hoc norunt quod in oculis omnium est. Eadem dico de proportione Sphære ad conum Cylindrumve eiusdem altitudinis.

*Ci.* Quomodo potuit hoc demonstrare vir ille adèd acutus & solers dignus qui faciat fidem nobis animorum immortalium?

*Er.* Certè si inscriptorum superficies minore obtinet circumscriptorum maiorem proportionem Sphære quadrupla erit.

*Ciuis.* Concedo. *Ermita.* Coni superficies æquam habent ad suam basim proportionem quam latus ad basim semidiametrum. Rhombi corpus æquale est coni illius corporis cuius basim æqualis est alterius coni superficiem: altitudo verò lineæ à vertice coni alterius ductæ ad perpendicularum lateris prioris. Hæc tanta tam diu latuere, nec nisi paucissimi credunt multo etiam pauciores sciunt.

*Ci.* Sed illa ad rem nostram non pertinent, sunt ingeniosa satis, sed figmentis similia tamen: hæc autem ignorare, nos ipsos suspicionem præbent ne non mortalis si animus noster, aut saltem quod magis credo, ne res aliter longè quam existimetur se habeat.

*Er.* Frustrà hoc suspicaris eum omnium par sit ratio, propositæ sunt leges Philosophi, qui si non omnino docent, quomodo anima nostra sit immortalis tamen propè ad rem accedunt. Existimandum est expedire ordini vniuersi, hæc nesciri: & eis qui docent fidem non haberi. Sed quid ille egregius Auerroës, qui vnam posuit animam in omnibus hominibus, immortalem esse tamen dixit. At errauit in hoc? Meliorem modum dum non inuenit deterrimo adhæsit?

*Ci.* Adèd putas absurdam fore illius opinionem?

*Er.* Vt nihil magis: nam si vna est anima, ut dixit ille, vna tamen est in hoc homi-

ne, seclusis vnius proprietatibus: scilicet quantitate, figura, loco, tempore, qualitate: at huiusmodi est anima eritque tota omnium hominum: at multoties vnum assumptum plura efficit, non ergo erit vna. Et si obiciat, animam Cœli esse vnam, & cuiuslibet partis: Respondemus partes actu non esse, nec diuidi cœlum posse nisi cogitatione: at homines inter se actu differunt. Quod si dicas differre eos per corpora & materiam: iam tamen differunt verè inter se & non sunt vnum. Et breuiter qui sic opinatur credat necesse est homines inter se non differre nisi accidentibus. Propterea multi dixerunt animam assistere corporibus, non esse illius formæ. Sed nos experimur non minus intelligere quàm sentire, nec minus sentire, quàm esse. Magnam habebat res ipsa per se difficultatem quam pauci attigerunt: atque hi non satis explicati quod Aristoteles magis studuerit contradicendo Platoni quàm veritati. Ipsi præterea mortales assiduis curis corporearum rerum impliciti & agitati parum cogitant de alia vita, adèd ut in contemptum venerit, ita etiam spernunt Deos: an dubium est Deos tamen esse?

*Ci.* Certum est esse sed dubium illis, an ad nos hoc esse pertineat quod quidem tot malis benè sit, tot bonis malè. Hier. Syracusius cum occupare vellet tyrannidem patriæ milites veteranos & peregrinos, patriæ fidos hostibus trucidandos obicit, quo facto nihil atrocius aut scelestius excogitari potest. Immeritos fidos nullà suà causâ occidendos hostibus exponere, inde nouo delectu habito patriam occupauit, quod adèd benè illi cessit ut non solum diu eam tenuerit, sed etiam in ea consenuerit: ac non modo felix, sed etiam probus habitus sit, hæc exempla cum vident homines iudicant non esse Deos. Hoc enim stupidi est, ac intellectu carentis, non minus quàm cœci, si neget lucem esse, sed non curare mortalia.

*Er.* Vana sunt omnia hæc & persimilia nouo mercatori cum magistro Artem supputandi docente, supputat mercator ex usu, ille compendiosa via: ridei magistrum stultus mercator qui quæ ille nouit nescit: Vix nouit quod agat: ille & hoc & illud nouit, sed multo melius esse scit ac compendiosus sic supputare. Sed res tamen in idem redit. Sed venio ad intellectum agentem quem cum sit in nostro arbitrio intelligere ipsum necesse est, aut in nobis esse, aut opinionem ipsam perpetuam, adiuuari tamen aut admitti. Admitti nequaquam: sic enim sine labore esset: cognoscimus autem esse laborem in intelligendo: quare quod in nobis est adiuuat intellectus opinionem sensit in nobis ille intelligens seu opinio sola. At si esset in nobis & perpetuo operaretur, esset proculdubio immortalis: reliquum est ut sit in nobis, & non semper operetur vel extra nos & immortalis sed hoc nihil ad nos. Absurdum rursus est existimare ipsum in nobis esse & semper operari, auxilio tamè indigere specierum mouentium: sic enim frustra esset in nobis, aut frustra semper operaretur.

Reliquum est tandem, vt sit alterum duorum aut in nobis nec semper operatur sed indigeat excitante, aut extra nos & semper operatur, sed auxilio indigeat. Verum si intellectus extra nos est & immortalis ac perpetuo agens cum aliquando vnus fiat cum nostro erit & noster immortalis. Sentimus etiam in nobis quod actuum: sic solū patientē esse necesse esset. Propterea melius est existimare in anima esse vtramque vim quæ à perpetuo lumine aliquo exteriore vt hæc inferiora à Sole illustretur, atque id & verisimillimū & rationi & experimentis omnibus est maximè consentaneū. Non ergo semper intelligit, sed indiget excitante, excitatur autem & à sensibus & sensibus & imaginibus seruatis iam in anima & à cælo ipso, vt in diuinis somniis, cū verò in profundo somno nihil intelligant morientes, palam est etiam nihil intelligere. Post mortem autem id quæri oportet, an sit anima, vt in profundissimo somno, an vt in somniis ante? videtur autem in profundissimo somno potius impedita quam destituta: nam si solum esset destituta non respiraret nec pulsarent arteriæ. Porro respirationis sensus & reliqui obruti, non sublati esse videntur, cum ad integritatem statim redeant. Liquet ergo in anima aliquid esse per se & à corpore, nō solum adiuuari, sed obrui. Si igitur in somno obruitur cum à morte corporis sit expers aliquid illi relinquatur qualecunque illud sit satis est ad intellectum post mortem. Videmus etiam & in sensu motum & in vita principium inesse quæ communicantur corpori: quare etiam in intellectu aliquid erit quod proprium est ipsi animæ. Forsan dices animam nullam tamen retinere speciem quod omnes in morte euanescent, ideoque nihil à morte hominem intelligere quod etiam sensisse videtur Aristoteles, cum dixit passiuum intellectum corrumpi sine quo nihil intelligit anima. Verum hæc non satisfaciunt: nam species sunt in anima & anima est proprium subiectum specierum, ergo ipsa etiam post mortem retinebit eas, omnia enim seruantur in propriis subiectis. Respondetur forsan quod anima recipit illas species medio corporis & conseruat eas: nam & in morbis cerebri perit memoria ob frigus. Sed ista responsio non satisfacit: Supposito enim quod verum non est omnino, quod species illæ producantur non in anima adhuc homo seruare potest illas species absque auxilio corporis, neque enim inuentus est quisquam cui sensus remanserit, qui oblitus sit prorsus omnium: tamen si aliqui legantur oblitū proprii nominis in peste belli Peloponesiaci. Ideo clarum est quod memoria est actus quidam specierum in anima contentarum in potentia, neque enim si non ibi essent in potentia possent deduci ad actum enim modo lapis recordari potest: sed anima recordatur, igitur species illæ fuerunt in anima in potentia, cum verò didicit, sed actu non recordatur, vt in dormiente, tunc sunt in actu primo: cum recordatur actu, in actu secundo. Si igitur post mortem remanet actus primus aut saltem potentia, igitur poterit reduci ad actum

per intellectum & per mentes. Si dicas non posse deduci ad actum nisi per species in actu primo seruatas in anima: & hoc est vltimum refugium: Dico quod hic actus non indiget auxilio corporis sed solum vt remoueatur prohibens, quod videmus, dum recordamur eorum quæ iam multis annis obliuioni mandauimus, apparet enim actum primum per te seruatum. Sed si seruatus est, absque corporis auxilio seruatus est, quoniam iam supponimus demonstratum esse animam immortalem: sufficit ergo ne impediatur actus primus à corpore: post mortem ergo remanet actus primus quia non indiget corpore ad conseruationem, & non impeditur à corpore quia corpore caremus igitur remanet memoria in secundo actu.

*Ph.* Post hæc pransi sumus poma, panemque: & statim ad disputationem reuersus inquit?

*Er.* Volebam proficere historiam eorum quæ nobis post mortem eueniunt. Sed destiti ob duas causas. Prima, quoniam quædam proposueram quæstiones ex quarum dissolutione semper aliquid accedit negotio nostro, quod ex notis nobis proficiscantur: Deinde quod arbitraris perueri ordinem. Quæsitum ergo primum fuit quid agat anima dum non intelligit, vt in somno, ebrietate, stupore: & videtur nihil prorsus agere verum actum primum habere nemo dubitare potest, dico etiam secundi esse participem, quandoquidem, vt dixi, remaneant primum omnes facultates naturalis virtutis, tamen etiam motus pulsantis, respiratio, & respirationis sensus, aliqua & femina, auditus, & tactus. Verum omnia hæc passiuia non actiua: Præterea vis videndi somnia. Sed fac vt ex toto conuiescat, actum primum retinet: ergo vel impeditur in his temporibus & ita non indiget auxilio sed remouente quod prohibet: vel indiget auxilio, sed in non habente actum primum nihil plus requiritur: igitur actus primus nihil prodesset, apparet ergo quod veluti somnus est impedimentum tamen proprium operationis animæ tam sentientis quam intelligentis: ita est aliud impedimentum generale quod factum est utilitatis animalis causa propter quod nec sentit, nec intelligit, alioquin semper esset in actu. Indicio est quod anima videtur in omnibus aliis operationibus esse in actu; est enim actus indeficiens, igitur & his in operationibus in actu semper erit, nisi à corpore prohibeatur. Finge tonforem semper operantem, non tamen operatur absque nouacula: & si nouacula non sit apta non operatur: idem est ergo auxilium & impedimentum. Ita dico de anima: corpus est illius instrumentum & auxilium, & vt non præparatum est impedimentum. Sunt igitur quatuor opera animæ: primum cum operatur adiuta à corpore auxiliis: Secundum cum non potest operari, quia instrumentum ineptum est: tertium cum impeditur ab operatione perfecta, vt cum vigilans non operatur: Quartum cum ex toto impeditur vt in somno profundo, voluntas igitur non est necessaria

ad operationem, sed sufficit. ut non nolit, sponte enim semper agit: si verò etiam adiuuet melius & celerius operatur. Sic & in somno, disculsa crapula, anima statim operatur quantum potest intelligendo, memorando, imaginando, ratiocinando, & sensuum operationes imitando, quamvis sine obiecto. Quodnam ergo certius potest esse argumentum quòd ista proueniant ab anima non ab obiectis: Et quod velut nutrix ac matris semper sunt in opere, ita & mens ac anima quæ principium est sensus sed præpediuntur, otiantur ergo non deserta sed impedita, ipsa naturalem habente instinctum ad omnia, velut enim lapis si sit extra centrum, semper appetit ibi esse, quamvis irritum sit opus ita videmus & de omnibus naturalibus rebus, & de pluribus animæ partibus & de omnibus est credendum: Vtrum verò possit intelligere absque voluntate apparet, quod sic; sufficit enim ut voluntas non reluctetur. Et etiam cum, ut dixi, sit hic instinctus naturalis animæ etiam reluctante voluntate aliquando intelligit; voluntas tamen potest per accidens & ex transuerso impedire hanc actionem, ut obstruendo aures diuertendo cogitationem ad aliud: conturpando corpus. Vnde illud mirum videri potest quomodo voluntas illum actum naturalem ad certam rationem dirigere possit. Sed de hoc non agam nunc. An verò velle liceat absque corporeo auxilio, præsentem, certè sic, quandoquidem velle est electio rerum per animam cognitarum: ut etiam cum volo nunc contemplari animam, alias cupiam numerum aut medicinam: Sed de præterito generaliter non specialiter autem sic nam est appetitus naturalis in omnibus rebus, ergo etiam in anima quæ nobilior est multis aliis rebus, appetunt elementa, cæli, lapides plantæ, animalia, cur non animæ humanæ? vltimum quæsitum fuit an intellectus intelligat absque corporeo auxilio: ita quod ex solis speciebus in anima seruat: nam antea non videtur deduci ad actum posse nisi auxilio corporis: tamen anima facultatem habeat videndi, non tamen potest vti eâ, nisi corporis auxilio. Quædam verò per corpus introducuntur in hominem quæ non pertinent ad animam, nec ad operationem animæ profus, velut lumen in oculum, ut instrumentum visus inducitur: secumque calorem ducit qui cum lumine diffunditur & ingreditur sed non peruenit ad sensum sed ad sensus instrumentum. Videtur ergo anima non intelligere absque corporis auxilio. Frustra etiam data essent auxilia corporea, si sine illis anima intelligere posset, Concluditur tandem animam non intelligere, nisi cum corporeo auxilio atque eo sensuum. Verum hic ita se habent quoniam intellectus non potest educere eas species ex anima connexa corpori, nisi per similitudinem ipsarum specierum: sed ab obitu cum adsit agens & potentia in anima tanquam materia ista sufficiunt ad actum producendum. Rursus manet appetitus & appetitus animæ intelligentis sine intelligentiæ esse non potest, aliter non maneret pro-

prius appetitus, sed communis, igitur anima à supremo die intelligit. Ibi verò constituere actum primum sine secundo non licet, igitur semper intelligit. Intelligit autem quod appetit: appetit Deum quia summum bonum, intelligit ergo Deum, & in eo reliqua, omnia enim in illo continentur, non autem cum ratio: ratione enim sit resiliendo ibi simplex actio, nec vllum aliud, declaratum est enim in morte periisse omnia, solum ergo Deum appetit & intelligit absque ratione, & eo intellecto reliqua intelligit, appetitque ipsum, & reliqua, quæ cum eo conueniunt bona, atque hic est status animæ à supræma die. Si enim terra proprium quoquo modo agnoscit locum, qualis impietas est negare animam, suum non cognoscere locum finemque in Mundo incorporeo? Hic autem Deus.

*Ci.* Præclare ita mihi statum post obitum animarum ostendisti, ut omnino deliberauerim, si non omnino tibi displiceret, tecum vitam meam agere. Quid enim etiam si patriæ meæ Dominus essem illa ad hanc beatitudinem atque sempiternam felicitatem. Quare te oro, rogo, obsecro ut quæ de illius statu post obitum habes mihi aperias, nihil tam suauis, plurà sum sanè talia expertus, in vita percepisse memini me. Modo nunc primum viuo. O felicem & diuinum errorem? Sed age si placet exhibere animam meam. Video omnia congruere, nihil absurdum, nihil absolum, nihil ab experimentis à ratione, à dictis dissidere?

*Ph.* Lætatus, est ut visum est mihi Eremita his verbis: aded à *philartia* nec tuti sumus in extrema solitudine, sed certè magna etiam mihi visa sunt illa. Et maximum illud omnia in vnum congeisse & ita attasse ut omnia omnibus congruerent, neque enim tale quicquam apud Philosophum quemque vidisse me memini. Itaque tamen ad hæc Eremita, sic respondit.

*Er.* Gaudeo quod mundum confusionis relinqueret decueris, ut tranquillitati non solum, sed innocentie sanctitati que pro arbitrio studes. Dicam autem quæ postulas de animæ statu.

Vbi illa corporeas has tenebras liquerit tanquam è somno quopiam euigilata, statim in Deum conuertitur: quod si eo momento aliquid maximè optet, ut filium inuisere aut patrem tum mouet animam illius & noua se illi specie offert: quæ tamen visio momentanea est: imò, quod ad animam morientis attinet solo instanti perdurat. Verum quoniam anima eius qui viuit hoc quodentique est corpori communicat momento manere potest. Cæterum vbi Deum appetere cepit (hoc autem maximè fit cum morientes idem cupiunt: ob id præstat confirmata in Deum voluntate ex hoc mundo discedere quod etiam Theologi nostri consulant) intelligit etiam quæ beata sit posturque voto, cumque hæc intelligentia sibi sufficiat alia præclara etiam secum adiungitur, scilicet cognitio omnium, quæ sunt, suntque vbique quantum tamen deprehendere licet: est enim ordo in his velut in lumine

lumine syderū: quodamenim maiore quodā minore participant, quæ verò miseræ sunt cupiunt quidem, sed non intelligunt, vt autem summa voluptas est in intelligendo, ita summa miseria velle intelligere nec posse. Etenim contrariorum eadem est ratio quanto maior voluptas est in intelligendo tanto maior miseria intelligere non posse. Nec leue est aut mediocre hoc supplicium, sed maus longè omni supplicio mortali. Tantalea, vt aliàs dictum est: pœna: nam omnis felicitas & miseria consistit in existimando se beatum aut miserum etiam hic vbi tot sunt quæ impediunt, & aduersantur velut voluptates, dolores, commoda, incommoda, gloria, infamia, consolationes amicorum, inimicorum iurgia. Vidimus plures omni ex parte beatos qui quod paucula deesse sibi existimarent mœrore interierunt. Quanto magis ergo ibi, vbi nihil aliud est quod distrahat in contrarium: & vbi cōsuetudo non minuit molestiā. Tūm verò magis vbi tua causa intelligis te nec adductum: culpam in te residere, eos patere exitus vllam spem nec superesse, vel timere ne tāta felicitas peruertatur, at sensuum cognitiones quōd desint multo minus est quā nobis quod desint pueriles ludi: vbi ergo anima in Mundo illo incorporeo consistit statim hæc patitur, & hæc habet. Cæterū vt hic cœlum, Terra aliāque elementa, ita ibi quatuordecim ordinibus res completur. Animæ enim Elementorum subsident omnibus tamquam prima materia. Post Terræ in hoc orbe loco sunt animæ plantarum ac stirpium, quæ motu atque sensu carent, loco aquæ hic sunt animæ omnium animalium ratione carentium atque per lunam quippiam diuinum adipiscuntur: velut etiam aquæ à luna agitantur. Aëris autem loco sunt humanæ quæ Soli ac Mercurio iunguntur, Soli quidem semper, Mercurio autem per contemplationem. Nobilitas quidem à Sole habetur: ita animalium amor per venerem ad diuina respicit, Ætheris loco dæmones sunt qui aspectus coniuncti sunt, eatenus corpore carent. Post sunt mentes septem errantium syderum: in lunæ orbe incorporeo diuinitatis Mercurij: contemplationis veneris: dilectionis Solis: Iustitiæ Martis: Securitatis Iouis: virtutum Saturni: perpetuitatis Fixarum diuersarum proprietatum & regni mundi huius in quartodecimo orbe coniunctionis cum Deo. Multa & alia sunt de quibus non est præsentis instituti, hoc vnum est caput eius Mundi, imò Mundum ipsum esse Deum trinum & ineffabile. Atque hæc certa, verum quæ præter id adesse possunt, & de quibus erit disputandum hæc sunt: An scilicet animæ istæ vbi corpus exuerint in alios homines statim transmigrantur: Hoc autem contingere non posse superius diximus. Secundò an postquam seiunctæ manserint: id non omnino absurdum, & à multis creditum: sed hoc dubium, quomodo post tempus eum ipse in tempore non sint constitutæ. Tertio an in dæmones assum-

pto elemētari corpore quo velut numero intelligant: aut diuino quale cœleste forsitan cuiusdam orbis tometas ferentis. Aut omnino nullo? sicque in Mundo incorporeo, constituantur. Et si corpus & vehiculum habent an nouum, an forsitan ex hoc carcere secum illud deferant? Ergo si seiunctæ omnino à corpore manent, dæmones non fiunt, sed aliquid nobilius erunt: si dæmones non sint corpore sunt, atque sic nihil mirum est, verum esse illud sacræ paginæ: *Spiritus vādens nec reuertens*. Cæterū de eo quod certum est agamus scilicet prout in Mundo incorporeo anima nostra constituitur. Ibi enim felix quæ Deum intelligit quæque omnia illius opera comprehendit, fabulosa primū, deinde inanis illa conuersatio à Socrate aut Platone introducta, licet tamen pia & bona quando nil illis melius succurrebat cum Homero, Orpheo, Musæo quorum scientia nulla aut admodum exigua fuit: vt profus nulla dici mereatur: nam de rebus ipsis nihil profus norant quandoquidē hoc vitium fuerit ætatis cum nondū Philosophia inuēta esset non hominum. De moribus hominum ac consuetudinibus aliquid, sed quid hoc ad animas iam corpore nudatas? quod etiam nobis graue est & bene institutis hominibus. Quam pulchrum fuerit scire arma, prælia, pericula, dolos, iniurias hominum, stultitiam, quæ omnia plena sunt cōtumelias, libidinem, de qua etiā cogitare beatas animas nefas esse puto? Tot prodiciones principum, nefaria consilia & conspirationes administrantium iniustas iudicū sententias? Quid boni est in vita humana quod scire digneris nedum quod cupias? At verte, vt dici solet) folium quid pulchrius esse potest. (Dicam autem solum de hisque noui quæ minima pars sunt & obscurissima, eorum quæ ignoro) quam scire quid extra Cœlum sit? quid in singulis? quomodo tanta celeritate tam immensa machina tenuissimi corporis ferri possit, nec dissipari? Quænam sit illa materia? quomodo cum superficie vna iuncti sint in diuersa ferantur: Cur tot in vno cœlo astræ, & maxima in singulis aliis vnum tantum, & persæpe etiam exiguum. Quonam pacto ascendere & descendere non collisā mole videri possint ac progredi & retrocedere cum ad eādem partem singuli orbes ferantur? Quid ille lacteus circulus sit? Quid cometes & vnde? Quomodo cum æternum sit sapientissimi conditoris manifestissima vestigia referat? Cur tanta diuersitas & maculæ tot in purissimo corpore? Cur phenomena tam multa appareant, cur tres soles aliquando videantur, cur prodigia & monstra in aère cernantur, hæc & plura alibi ostendendum quantā potui diligentia, & sedulitate curauim, quam obrem Theonostō seu hyperboræorum libris finem imponamus de immortalitate Animosum modò dicturi: nunc etiam tempus cogit, vt ad cœnam parandam eamus, itaque sic discessimus.